

ejusmodi maculæ à Sole, vastoque sese ætheri admisceant, sive
conjunctæ perpetuò maneant, inque ipsum Solem dissolutæ re-
deant, (quod continuatæ forsan observationes manifestabunt)
hoc tamen certum omninò mihi videtur, sublatâ materiâ peri-
sticâ, stellarumq; effluviis obstructis, nihil ad Cometarum con-
stitutionem materiæ loco superesse, quàm concreatas ætheris
partes crassiores, de quibus antea, cum nec aura cœli subtilissima
ex sese densescere & relictâ subtilitate (velut cum aër in aquam
Aristoteli commutatur) incrassari; nec via lactea particulam
avulsam, hisce phænomenis largiri posse videatur. Sed utut ex
quanam parte cœli depromatur materia Cometarum nondum
satis accuratè liqueat, sufficiat tamen nobis, quod satis certò scia-
mus, Cometas non elementis, sed ipsi cœlo suos debere natales,
& proinde non meteoris, sed corporibus cœlestibus extraordina-
riis accensendos esse

CAPUT XXII.

DE FORMA COMETARUM.

HActenus de materiâ Cometarum, sequitur Forma. Formam
autem intelligo non *externam*, quâ Cometæ plerumq; glo-
bosi albicantes, lucidi, caudâ nonnunquam longius protensâ ap-
parent; sed *internam*, eamq; non *Metaphysicam*, quæ totam Co-
metarum essentiam, adeoq; materiam etiam in se complectitur;
sed *Physicam*, quæ materiæ contradistinctum principium Come-
tæ constitutivum importat. Et hæc non est quidem peculiaris, &
ab efficiente Cometarum materiæ seorsim addita vel inducta sub-
stantia, sed est id quod in generatione Cometæ ex partium mate-
rialium unione & dispositione resultat, quo Cometæ corpus ad
Solis lumen repræsentandum, motu suo progrediendum, & ad
alias operationes exercendas informatur. Quod lucem Cometæ
concernit, quamvis eam immediatè ab internâ formâ dependere
putet Longomontanus, dum lucem primigeniam Cometis æquè
ac Soli & stellis tanquam primarium formæ suæ instrumentum
inesse dicit, tractatu de novis cœli phænom. cauda tamen Come-
tica mihi persuadet, omnem quam nobis ostentat Cometa lucem
aliundè advenire, & à Sole ipsi communicari, adeò ut forma co-
meti-